SACRA NATALITIA

GUILIELMI,

Würtembergiæ Regis Augustissimi, Clementissimi,

V. CAL. OCTOBR. MDCCCXLIX

CELEBRANDA INDICIT

Gustavus Henricus Schmoller,

SEMINARII REGII EVANGELICO-THEOLOGICI, QUOD BLABIRAE EST, EPHORUS.

I. Explicantur loci Tacitini. (Annall. Lib. I.)
II. Nachrichten über das K. Seminar in Blaubeuren.

BLABIRAE,
EX OFFICINA GUILIELMI LUBRECHT.
1849.

Explanantur hoc libello quidam ex iis Annalium Taciti locis, quos, quamvis explicatione aliqua indigere videantur, interpretes aut silentio praeterierunt[1]), aut, ut nobis quidem videtur, vel minus recte vel non satis accurate et perspicue explicarunt.

De quibus alii sententiam suam ante nos ita dixerunt, ut neque a vero aberrasse, neque obscuri quicquam reliquisse videantur, ea, quod sciamus, non attigimus. Quum vero, quae a viris doctis in medium proferuntur, ad recessum nostrum Alpinum [qui tamen terrarum angulus propter ipsam regionis naturam, aspera amoenis pulcherrime miscentem, multis praeter omnes ridet] viam non semper sibi facere soleant, fieri poterit, ut ea offendas, quae ab aliis eadem ratione, qua in hoc scripto, inscientibus nobis, illustrentur.

Ceterum lectores haud moniti intelligent, esse in hac commentatione etiam ea, quae non tam viris eruditis scripta sint, quam iis, quorum nobis cura demandata est, adolescentibus literarum studiosis.

---

1) v. W. Pfitznerum in Jahn u. Klotz N. Jahrbb. 50,285. hac ipsa de re querentem.

Lib. I. Cap. 1.

dictaturæ ad tempus sumebantur.

Sunt, qui putent, „ad tempus“ vel significare vel posse significare idem quod: „pro s. ex tempore (nach Beschaffenheit der Umstände = wenn es noth that),“ ut vis verborum: „dictaturæ ad tempus sumebantur,“ — sit: „dictaturæ sumebantur necessitate urgente, ubi unius arbitrio omnia regi opus esset.“ Gutmannus[1]) qui vertit: „für einzelne Fälle“ huic interpretationi videtur favere. Ex Orellii[2]) sententia utrumque, et: „je nach Umständen“ et: „auf kurze Zeit“ simul in his verbis inesse, ea, quibus vir doctissimus hunc locum interpretatur, verba („ubi summa rei publicæ ageretur, neque vero ultra sex menses“) videntur indicare. Baumannus[3]) utramque significationem, aut: „je nach Umständen“, aut: „auf kurze Zeit“ aeque probabilem esse existimat. Haud repugnamus, si quis ea, quibuscum hæc verba cohærent, minus spectet. Quæ qui accuratius spectaverit, vertere malet: „auf s. für einige Zeit“, quippe quum etiam in iis, quæ sequuntur (neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare jus diu valuit. Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio; et Pompeji Crassique potentia cito in Cæsarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere), non causæ mentio fiat, cur hæc imperii genera institnta sint, sed brevis, per quod ea manserint, temporis ratio habeatur.[4])

I, 2.

invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.

Apparet, Tacitum h. l. „ambitu“ omnes istas turpissimas artes

---

[1]) Uebers. des Tac. Stuttg. Metzler. 1834. Quam Taciti interpret. Gutmannus 1847. Zürich. edidit, eam ad manum non habemus.

[2]) Taciti Opera rec. atque interpr. est J. G. Orellius V. 1. Turici 1846.

[3]) Auswahl aus dem schriftl. Nachl. von Baumann, 1. Abth. Tüb. 1823.

[4]) Hæc jam scripta erant, quum consentire nobiscum vidimus J. Weissenbornium in Klotz und Dietsch N. Jahrbb. 52, 49., ubi vir ille doctus judicium facit de editione Taciti Orelliana.

complecti, quibus, præter vim et pecuniam, leges irritæ reddebantur, inprimis „adulationem precesque sordidas, calumnias ac mendacia". Docet igitur hic locus, vocem „ambitus" (ut ambitionis) latius patere, quam lexica quædam (ut Freundii: „die unrechtliche Bewerbung um Ehrenstellen") statuant. Significat enim ea omnino: „studium animos hominum, plerumque malis artibus, deviaciendi". Ann. 2,55. eadem vis inest in voce ambitus cf. Klotz Handwörterbuch der lat. Sprache s. v. ambitus.

I, 3.

at Hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus imposuit.

Postquam Tacitus narravit, Augustum, Liviæ artibus devinctum, omnia ornamenta in Tiberium, privignum, congessisse et quem unicum habuerit propinquum, sanguine sibi conjunctum, Agrippam Postumum, projecisse in Planasiam insulam, addendum putat, mirum videri posse, quod idem Germanicum honoribus extulerit, sed fecisse hoc Augustum, quo pluribus munimentis insisteret. Jllud autem, quod honores Germanico habiti admirationem hominum fortasse moveant, Tacitus indicat voce „Hercule," qua interjectione Handius, cum aliorum, tum hujus loci auctoritate usus (Tursell. 1,437 sq. et III, 57), recte docet, „etiam admirationem significari rei insolitæ, et quidem sæpe apud Tacitum, præsertim in formula: at Hercule." Bötticherus vertens: „Aber den Germanicus freilich setzte er über acht Legionen" minus apte verba reddidit. Propius ad vim vocabuli Hercule accedit Gutmannus, quippe qui vertat: „Aber gleichwohl setzte er des Drusus Sohn Germanicus über acht Legionen." Sensus enim verborum „at Hercule" est: „Dennoch, so auffallend es scheinen mag, so wenig man es hätte glauben sollen."

I, 5.

electis consciis et comite uno Fabio Maximo.

Jnterpretes (v. Rupertium et Waltherum) electis consciis significari putant ministros. Quam interpretationem qui probat, ei haud scio an verisimile videatur, hos ministros eosdem fuisse, qui Augustum in insulam Planasiam veherent. Augustum enim in

transvehendo hac ministrorum, neque alienorum nautarum, opera usum esse, a vero non abhorrere videtur, quum iter illud quam maxime occultare studeret. (Dio 56,30. *Αὔγουστος πρὸς τὸν Ἀγρίππαν κρύφα ἐς τὴν νῆσον διέπλευσεν*).

Ex ipsis vero Taciti verbis quum nequaquam appareat, conscios illos fuisse e ministris, etiam sumere licet, eos, ut Fabium, fuisse ex amicis Augusti, et, quum domi essent relicti, Fabio opponi et conscio et itineris comiti.

I, 7.

tristiores primordio.

Cave hæc verba ita intelligas: „tristiores ob primordium („ob novum principem"); ea potius ita intelligenda: „tristiores in primordio (in principio novi imperii) ob excessum ejus, qui usque ad illud tempus princeps fuerat (ob mortem Augusti)". Homines enim isti, in servitium ruentes (v. init. hujus Cap.), quum novi principis gratiam sibi conciliare festinarent, tristitiam propter novi principis imperium præ se ferre nec ausos esse nec voluisse, cuivis patet. Jtaque non vertendum preæeunte Gutmanno: „nicht gar zu traurig über den Regierungsantritt."

I, 8.

tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed jactantia gloriaque ad posteros.

Augustus voluit posteros credere, tantam in se animi magnitudinem et constantiam fuisse, ut invidiam atque odium primorum non timuerit, tantamque placabilitatem et clementiam, ut quamvis indignos beneficiis afficere non dubitaverit.

ibid.

ut porta triumphali duceretur funus.

Hæc verba idem sonare quod „ut per portam triumphalem duceretur funus", per se liquet. Addit autem huic interpretationi Baumannus: „commutatur porta cum via", in quo videtur errasse vel potius vim hujus Ablativi non satis assecutus esse. Voci enim „via" Grammatici cogitatione addere solent præpositionem:

„in.“ Ablativi autem: „porta“ vel „portis,“ quos pro: „per portam“ v. „per portas“ sæpe poni notum est, sunt Ablativi, quos dicunt, instrumenti, et verba: „porta triumphali“ propriam eorum vim exprimenti vertenda sunt: „vermittelst des Triumphthores“ = ut porta triumphali uterentur, qui funus ducerent.

ib.

die funeris milites velut præsidio stetere.

Velut = in speciem. Revera enim milites non aderant, ut prohiberetur, ne populus nimiis studiis funus Augusti turbaret (etenim non erat, cur hoc metueretur), sed ut caveretur, ne quis, servitium ægre ferens, in pompa hac funebri immodestum se præbere, vel adeo pro libertate aliquid moliri auderet; quæ cautio ridicula videbatur iis, qui non dubitabant, quin Romani recens (crudum) servitium olim passi, hoc unius imperium, longo tempore satis stabilitum, æquis animis laturi essent.

I, 9.

mari Oceano aut amnibus longinquis saeptum imperium.

Jnterpretes quum vertant „longinquis“: „durch entfernte,“ Halmius[1]) contra dicit: „Was trägt die Entferntheit von Flüssen zur Sicherheit einer Reichsgrenze bei? Denn dass es sich darum handelt, ist durch das Wort sæptum und den Gegensatz mari deutlich genug ausgesprochen. Longinqui amnes sind Flüsse mit langem Laufe, die auf weite Strecken hin eine natürliche Gränze machen.“ Quamquam nos quidem hanc interpretationem non improbamus, tamen etiam ceteros interpretes putamus habuisse, cur verterent: „durch entfernte.“ Jis enim, quibuscum hic locus cohæret, nequaquam impeditur, quominus sumas, laudatores Augusti non modo, quam tutum sed etiam quam magnum fuisset imperium, prædicare voluisse, quae laus enunciatur, si voci „longinquis“ subjicias vim: „durch entfernte (longe ab urbe remotis).“ Quod Halmius dicit, verbis: „mari Oceano“ et: „saeptum“ indicari, fines imperii tutos fuisse,

[1]) Beiträge zur Kritik und Erklärung der Annalen des Tacitus. Speyer 1846. p. 3.

inde non efficitur, eandem tuti s. securitatis notionem non posse non inesse in voce „longinquis." Præterea facile intelligitur, etiam verbis: „mari Oceano" utrumque significari posse, et magnitudinem et securitatem imperii. Voce: „amnibus", quippe qua majores fluvii appellari soleant, laudatores fortasse declarare volunt, tutum fuisse imperium; vocabulum: „longinquis" vero aut ad magnitudinem aut ad securitatem imperii potest referri, ita ut nec Halmii nec aliorum interpretum sententia videatur omnino rejicienda.

I, 11.

Patres, quibus unus metus, si intelligere viderentur, in questus, lacrimas, vota effundi; ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere, cum proferri libellum recitarique jussit.

si intelligere viderentur) sc. Tiberii simulationem. Metuebant Patres, ne iram odiumque Tiberii in se converterent, si intelligere viderentur, eum, dominandi cupidissimum, simulate imperium recusare.

Verba: „proferri libellum recitarique jussit" explicaturus Ruperti[1]) e Lipsio addit: „ut videreretur flexus paulum et imperium accepturus, ubi curas susciperet". At Tiberium eo, quod hunc libellum, quo opes publicæ continerentur, proferri recitarique jussit, curas imperii suscepisse, minus recte dixeris. Haud scio, an rectius dicas, Tiberium, qui probe nosset, hac ipsa tergiversatione id, quod vellet, se optime assecuturum, in simulatione perseverantem, opibus publicis, quæ hoc libello continerentur, ob oculos positis docere voluisse, unum administrandæ toti rei publicæ parem non esse (cf. C. 11. init. et C. 12. init). Fortasse simul id egit, ut recitando hoc libello Patrum preces interrumperentur, ne, quid sentiret, aperire cogeretur.

Ceterum monemus, Dionem recitationem hujus libelli, quem cum tribus aliis, ab Augusto relictis, in senatu prælectum esse refert 56,33., cum ista Tiberii tergiversatione, cujus mentionem facit

---

[1]) Taciti Opera. Hannov. 1834. Vol. 1. p. 35.

57,2., omnino non connectere, neque si argumentum, neque si seriem ordinemque rerum narratarum spectes.

I, 12.

addidit laudem de Augusto, Tiberiumque ipsum victoriarum suarum, quæque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit.

Docuit haud dubie Gallus, saluberrimum unius imperium Augusto regnante fuisse rei publicæ, ut ea laude ad accipiendum idem imperium impelleretur Tiberius, quem huic muneri parem esse iis, quæ et domi et militiæ per tot annos egregie fecerit, vult probare.

I, 13.

quousque patieris, Cæsar, non adesse caput rei publicæ?

Tiberius, quo erat suspicaci animo, his verbis putabat ab Haterio aut admoneri se, ut imperium, simulatione exuta, suscipere jam non gravaretur, aut rogari, ut, si regnum repudiare firmo consilio statuisset, hoc ipsum aperte diceret aliumque nominaret imperio parem. Jllud offendit Tiberium, quia simulationem ejus se perspicere verbis illis doceret Haterius, hoc, quia etiam ab alio, neque a solo Tiberio, rem publicam posse administrari significaret.

Bischoffius[1]) putat, „verba Haterii stomachantis fuisse quem diuturnæ simulationis taederet". Sed cum iis, quæ c. 7. 11. 12. de servili omnium Patrum adulatione, tum iis, quæ in extremo hoc cap. de ipso Haterio dicuntur, impediti, quo minus existimemus, Haterium indignationem propter Tiberii simulationem præ se tulisse, nos quidem credimus, verba Haterii esse vehementer orantis, a Tiberio, homine arrogantissimo et suspiciosissimo, in crimen detorsa. (cf. C. 7. extr.).

ibid.

relationi consulum.

= consulibus de imperio ad Tiberium deferendo referentibus. Hujus quidem relationis Tacitus nusquam aperte mentionem facit, sed ex ea haud dubie natæ sunt preces Patrum, quæ C. 11. commemorantur.

---

[1]) Observatt. in Taciti Annalium librum primum. Wesel. 1845. p. 6.

I, 17. (Al. 16).

velut concionabundus.

Opponuntur hæc verba iis, quæ Tacitus antea dixerat, „Percennium impulisse imperitos animos — paulatim nocturnis colloquiis, aut flexo in vesperam die et dilapsis melioribus deterrimum quemque congregasse". Tum enim, quasi munus suum esset, publice animos ad seditionem irritare, aperte atque interdiu concionabatur. (Verte: „als hætte er amtlich zu sprechen").

ibid.

ut — isdem in castris præmium pecunia solveretur.

isdem in castris = ut isdem in castris, in quibus stipendiorum finis fieret, statim post finem stipendiorum præmium solveretur (ut finis stipendiorum militiæ quoque finem adferret, neque dimissi ultra sub vexillis retinerentur). Dio 57,4. τὰ ἆθλα εὐθὺς αὐτοῦ ἐν τῷ στρατοπέδῳ λαμβάνειν ἠξίουν.

pecunia) neque vero agris infecundis (v. hoc c. med.: „trahi diversas in terras, ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant.")

I, 18.

postremo eo furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agitaverint. Depulsi æmulatione, quia suæ quisque legioni eum honorem quærebant, alio vertunt.

Verba: „eum honorem", in quibus obscuri quid inest, ita intelligenda: „eum honorem, quem tribus legionibus in unam miscendis adipisci quisque posset". Honorificum enim sibi quisque id existimabat, si huic legioni ex tribus miscendæ suæ legionis nomen inderetur, si suæ legionis retineretur aquila, e sua legione dux crearetur et cet. cf. Fr. Ritterum ad h. l.[1])

---

[1]) Cornelii Taciti Opera Cantabrig. 1848.

I, 22.

cum osculis, cum lacrimis dolorem meum implevero.

„Implere" h. l. idem est, quod „explere, satiare". v. Rupertium ad h. l. Dolor enim comparatur rei, quæ, sicut stomachus, ne ea vexemur, satianda s. implenda est alimento quodam. Hæc igitur in Taciti verbis inest sententia: „cum lacrimis, quasi alimento, dolorem meum ita satiavero, ut me vexare desinat = cum lacrimis dolorem meum lenivero."

I, 24.

tristissima quæque maxime occultantem.

Tristissima quæque Tiberius maxime tum occultabat, quum ea principis elevare videbantur auctoritatem, ne iis patefactis adversarii aut ad coërcendam magis magisque ejus dominationem aut ad eam frangendam inducerentur.

ib.

rector juveni, et ceteris periculorum præmiorumque ostentator.

Wolfius, Waltherus, Orellius, alii voce „ceteris" milites legionum Pannonicarum significari putant, verba „ceteris periculorum præmiorumque ostentator" ita interpretantes: „cui demandatum erat, ut ostenderet pericula (poenas) pervicacibus, præmia ad meliora redituris". Nobis quidem hæc interpretatio iis, quæ h. l. narrantur, convenire non videtur. Quum enim verba: „ceteris periculorum præmiorumque ostentator" cum iis, quæ antecedunt: „rector juveni" arcte cohæreant, ii, qui voce „ceteris" indicantur, ex eodem hominum genere esse videntur, cujus pars sunt juvenis (Drusus) ejusque rector Sejanus, h. e. iis adnumerandi, qui ad seditionem comprimendam ex Urbe missi erant. Adde, quod antea, inde ab initio Capitis 24., sermo non est de legionibus seditiosis. Itaque malimus, auctoritatem sequentes Duebneri[1]) aliorumque[2]), hæc verba ita exponere: „cui demandatum erat, ut ostenderet militibus (ex Urbe

[1]) Taciti Opera Ed. Fr. Dübner. Paris 1845.

[2]) v. Orellium ad. h. l. et Pfitznerum in Jahn u. Klotz N. Jahrbb. 50,288.

missis), quibus præerat, pericula (poenas), si officio defuturi, præmia, si officium religiose exsecuturi essent."

Ceterum haud scio an: „periculorum" melius interpreteris aut: „periculorum, quæ in mandato perficiendo prudentia (prudenter agendo) caverent, aut: „periculorum rei Romanæ seditione non compressa imminentium". Namque voce „periculorum" pro: „pœnarum" uti, vix latinum sit, neque videtur proprio et insolenti Taciti sermone satis posse excusari.

I, 28.

tarda sunt, quæ in commune expostulantur.

Facile est intelligere, „tarda sunt," si non quæras nisi sententiam, idem h. l. sonare, quod: „tarde s. aegre conceduntur". Accuratius autem propria verborum vi investigata apparet, ea, quæ expostulentur, induci h. l. tanquam res anima præditas, quæ sua sponte moveantur, et verba illa idem valere, quod: „tarde progrediuntur, tarde ad eum, a quo expetuntur, quasi accedunt".

I, 32.

Jd — præcipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque disjecti, nil paucorum instinctu, sed pariter ardescerent, pariter silerent.

Jta Cod. MS. — Dœderlinus,[1]) in Waltheri[2]) interpretatione, qui „neque" esse nostrum: „nicht einmal", Græcorum, „μηδὲ" dicit, non acquiescens, suspicatur, verba: „quod neque — instinctu" librarii vitio corrupta sananda esse hac trajectione: „quod nil paucorum instinctu neque disjecti, sed" et cet., id quod probat Bezzenbergerus[3]), sed, ut „transpositio lenior sit", legere mavult: „quod nil disjecti, neque paucorum instinctu, sed" et cet. — Quod autem Dœderlinus præeunte Walthero post verba: „nil paucorum instinctu" supplendum

---

[1]) Taciti Opera emend. et comm. instr. Lud. Dœderlein. T. I. Halis 1841.

[2]) Taciti Opera rec. et comm. suos adjecit G. H. Walther. T. 1 Hal. Sax. 1831.

[3]) Observationes Tacitinæ Dresdæ 1840.

putat: „agerent,“ in ea re viro doctissimo assentiri non possumus. Nam: „nil paucorum instinctu“ æque ac: „neque disjecti“ jungi potest cum verbis: „ardescerent“ ac: „silerent“, et: „nil“ vertendum: „nicht“ sive: „keineswegs“, quam augendi vim in vocula certe „nihil“ sæpe inesse satis constat („weil sie keineswegs vereinzelt und auf das Anstiften Weniger, sondern gemeinschaftlich aufbrausten, gemeinschaftlich schwiegen“). cf. Bischoffium ad. h. l.

I, 33.

Jnterea Germanico per Gallias — census accipienti excessisse Augustum adfertur.

Sub voce „interea“ sententia subjecta est haec: „cum seditio apud Germanicas legiones jam orta esset.“ Quæ seditio quum demum audito fine Augusti (C. 31) oriretur, colligere inde licet, milites de morte Augusti prius quam Germanicum certiores esse factos.

ibid.

anxius occultis in se patrui aviæque odiis, quorum causæ acriores, quia iniquæ.

Causæ odii erant invidia, Germanici ingenio civili et mira comitate conflata, et metus, ne Germanicus populi favore fretus rerum potiri conaretur, a quo consilio pro insita integritate longe aberat, quippe qui „quanto summæ spei propior, tanto impensius pro Tiberio niteretur“ (C. 34). Jnde apparet, utramque odii causaum iniquam fuisse. Sed Tiberius et Livia, quorum animi pusilli integritatem viri erecti honestique, qui aliorum jura violare nefas haberet, capere non possent, alteram causam, metum, iniquam haud dubie non habebant. Quod igitur Tacitus dicit, causas, utpote iniquas, acriores fuisse, hoc nisi ad priorem causam, invidiam, videtur non posse referri. Quam odii causam quum Tiberius quoque et Livia iniquam haberent, h. e. quum scirent, esse virtutes, summa laude dignas, quibus populi gratia floreret Germanicus, hac ipsa de causa tanto magis eum oderant. Qui si

suo se civibus minus commendasset ingenio, neque invidiæ neque formidinis eam dedisset materiam.

I, 34.

Adsistentem concionem, quia permixta videbatur, discedere in manipulos jubet.

Concio permixta videbatur, non erat. Unius enim ejusdemque manipuli milites in unum locum congregati adstabant, neque vero singuli manipuli spatio quodam interjecto sejuncti erant.

ibid.

sic melius audituros responsum.

Sunt, qui, Germanicum haec dixisse et „responsum" nomen substantivum esse judicantes, hunc locum ita interpretentur: „sic melius (sc. eos = milites) audituros responsum (sc. suum = Germanici)."

Sed, ut omittamus, quod alii objecerunt, non antecedere a militibus dicta, ad quæ respondere potuerit Germanicus,[1]) sunt tamen, quæ illi interpretationi obstent: 1) Germanicus dicere non potuit, milites manipulatim dispositos melius ipsum audituros, nam ita, diducti et longius a loquente remoti, minus eum audiebant; 2) quæ sequuntur verba: „vexilla præferri (sc. jubet), ut id saltem discerneret cohortes", — indicant, præcedere ea, quibus significetur, milites, ne in manipulos discederent, recusasse"; quæ præcedere intelliges, si verba: „sic melius audituros responsum" Waltherum aliosque secutus ita explanaveris: „sic (sc. si non diducti in manipulos, sed quam maxime conferti eoque loquenti propiores astarent cf. Döderlinum ad h. l.) melius audituros (sc. ducem), responsum (sc. est a concione s. a militibus)."

Pfitznerus quoque l. c. p. 276 sq. probat hanc interpretationem. Quod Ritterus, „sic melius audituros responsum" a Germanico dictum esse ratus, existimat, verbis: „vexilla præ-

---

[1]) Annotant enim Bischoffius et Orellius, responsum dici potuisse pro „verba s. orationem", nam respondere in animo fuisse Germanico ad dissonos questus gestusque militum.

ferri, ut id saltem discerneret cohortes“ Germanicum respicere et exprobrare centuriones occisos aut exactos, et, quum hi suum quisque ordinem ducere non possent, vexilla præferri jussisse, hoc iis ipsis repugnat, quæ idem paulo ante ad verba: „sic melius audituros responsum“ illustranda dixerat: „Germanicum, qui fuisset clementior, eo mitigari turbidos militum animos putasse, si significasset, se non incusare præsentia, sed ad querelas eorum responsum dare velle“. Germanicus primum („Adsistentem concionem — discors“) de industria lenius dixisse, paulatim vero transiisse videtur ad objurgationes (c. 35. „Ut seditionem attigit — rogitans“).

ibid.

a veneratione Augusti orsus flexit ad victorias triumphosque Augusti.

Germanicus honorifica Augusti mentione facta milites monere voluit, ut nec ea, quæ ab illo instituta essent, despicerent, et Tiberium etiam propter patris Augusti virtutes diligerent, præterquam quod ipsi filio (Tiberio) propter ejus in rempublicam merita parere fas esset.

ib.

Jtaliæ inde consensum, Galliarum fidem extollit; nil usquam turbidum aut discors.

„Jtaliæ consensum“ explicandum videtur: „voluntatem Jtalorum cum Jmperatoris v. magistratuum voluntate consentientem (Gehorsam; Ruhe).“ Similiter „discors“ non spectat ad discordiam inter ipsos cives v. milites ortam, sed ad animos civium v. militum cum Jmperatore v. magistratibus et præfectis discordes (Ungehorsam; Meuterei).“ Favent huic interpretationi, quam Lexica, quod sciamus, in medium non proferunt, quæ legimus C. 38. init.: „At in Chaucis cœptavere seditionem præsidium agitantes vexillarii discordium legionum“, quo loco: „discordium legionum“ vix aliter vertere possis, quam: „der unruhigen s. missvergnügten Legionen.“ Nam inter

se hae legiones discordes non erant, id quod apparet ex iis, quæ C. 32. de militum eorundem pariter ardescentium, pariter silentium seditione leguntur. — Eadem sententia C. 16. verbo „discordare“ subjecta est. Jta Cap. 46 „dissidere“ interpretandum: „dissidere a principe“.[1]) V. etiam quae ad locum 1,54. („Ludos Augustales — histrionum“) explicandum a nobis dicta sunt.

1, 35.

incusant vallum, fossas, pabuli, materiae, lignorum adgestus et si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quaeruntur.

Waltherus dicit; „quaeruntur“ non convenire nisi alteri membro[2]): „adversus otium castrorum“, ad prius membrum: „si qua alia ex necessitate“ ἐξ ἀναλόγου verbum esse intelligendum.“ Ruperti autem, „quaeruntur“ utrique membro satis convenire, existimat, et „quaerere“ h. l. positum esse putat pro „parare“, sed de hac interpretatione, huic loco minus apta, non omnes cum eo consentient. Etiam Orellii interpretatio: „excogitantur“ nobis minus placet, quippe quae a priore membro: „si qua alia ex necessitate“ abhorrere videatur. Quae enim necessitas postulet, quum in promtu sit, excogitare ea non opus est. Nos quidem crediderimus, „quaerere“ h. l. idem esse, quod: „requirere, postulare (verlangen, fordern)“[3]), ut apud Cic. Verr. 2,1,10. extr.: „Nego esse quidquam a testibus dictum, quod aut vestrum cuipiam esset obscurum, aut cujusquam oratoris eloquentiam quaereret;“ Liv, 4,14. p. in: „qui tumultus, quod bellum repens aut dictatoriam majestatem, aut Quinctium post octogesimum annum rectorem rei publicae quaesisset.“ cf. Lexica.

---

[1]) Hanc vim in vocabulis ejusmodi generis apud Tacitum sæpius inesse, docet etiam Agric. 16. Jn hoc enin cap. seditionem nominat eundem motum, quem antea appellaverat discordiam.

[2]) sc. verborum: „si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quæruntur.“

[3]) Hoc modo etiam Gutmannus hanc vocem vertit.

I, 37.

largitio differebatur in hiberna cujusque.

Vocem „largitionis“ per se spectanti verisimile videatur, largitionem esse praemia, militibus post confecta stipendia tribui solita (C. 17). Quum vero in iis, quae de legionum Germanicarum seditione narrantur, nulla ejusmodi praemiorum mentio fiat, sed pecuniae abAugusto legatae, quam milites petiverant, et cujus duplicata solutio iis promissa fuerat (Cap. 36), rectius putes, voce „largitionis“ h. l. significari „Augusti legata.“

I, 38.

jusserat id Mennius castrorum præfectus, bono magis exemplo, qnam concesso jure.

Verba: „bono exemplo“ noli, verbis „concesso jure“ inductus, habere pro Ablativis. Dativi sunt, quibus, quid propositum habuerit Mennius, indicatur (zu gutem = wirksamem = abschreckendem Beispiel), = magis, ut bonum exemplum ederet, quam quia jus ei concessum erat.

1, 39.

caedem parant, Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat.

Verba: „quem dignitas fuga impediverat“ nisi velis ita explicare: „fuga impeditus est, quia confidebat, se, tantum dignitatis gradum adeptum, i. e. virum consularem, a militibus non violatum iri,“ — hæc tibi fortasse probabitur explicatio: „pudore impeditus est vir tantam dignitatis gradum adeptus, i. e. consulatu functus, quo minus militum gregariorum, hominum multo inferiorum, iram fugeret.

ibid.

luce demum, postquam dux et miles et facta noscebantur, ingressus castra Germanicus perduci ad se Plancum imperat, recepitque in tribunal.

Halmius (l. c. p. 5.) assentiente Pfitznero[1]) reprehendit

[1]) Jahn u. Klotz. Neue Jahrbb. 50, 286.

Gutmannum et Böttícherum, quod vertant: „als der Feldherr, der Soldat und der Vorfall kenntlich wurden,“ addens: „Diesen Feldherrn näher zu bestimmen, möchte eine schwierige Aufgabe sein. Der Verstoss in der Uebersetzung entstand aus dem Verkennen des collectiven Singulars dux. Denn deutlich (?) sagt Tacitus: Erst mit Tagesanbruch, als Anführer, Soldaten, Vorgänge allmählig erkannt wurden, d. i. als man nach und nach erfuhr, was in der Nacht vorgefallen, welche Soldaten bei dem Vorfalle betheiligt, und wer ihre Rädelsführer gewesen waren.“ — Apparet, Halmium existimare „dux“ h. l. esse = „seditionis duces, Rädelsführer.“ Equidem, cum haud improbem hanc interpretationem, eos tamen, qui vertant: „Feldherr“ (quibus addi potest Baumannus) errasse haudquaquam pro manifesto habeam. Neque enim iis voce „ducis“ adsurde videtur significari „Germanicus“, quippe qui nocte castra ingredi nollet, ne militum per vias vagorum et tenebris aut deceptorum aut tectorum rabiei se exponeret.

I, 42.

Non mihi uxor aut filius patre et republica cariores sunt: sed illum quidem sua majestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent.

Verbis: „non mihi uxor aut filius patre et re publica cariores sunt“ cogitatione addendum: „eosque (h. e. patrem et rem publicam) non minus, quam uxorem et filium tuerer, si tutela opus esset (sed illum etc.)“. Germanicus ab hac sententia orditur, ut statim orationis initio milites imbecillitatis admoneat, qua impediti, quæ velint, perficere non possint.

ibid.

Divus Julius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando qui sacramentum ejus detrectabant.

Verba „qui sacramentum ejus detrectabant“ iis, qui usitatam vocis „detrectare“ vim (ablehnen, verweigern) respiciunt, idem sonare videntur, quod: „qui sacramentum ei dicere recusabant“. At hæc verba h. l. ita explicari non possunt. Milites enim divi Julii, qui missionem et præmia flagitantes seditionem

moverant, non erant novi milites, ante stipendia sacramento adigendi, sed veterani, qui jam dudum in verba Cæsaris juraverant. Sacramentum autem semel dictum a militibus, quam diu eundem habebant ducem, iteratum esse, credibile non est. Quod enim Wolfius (v. Edit. Bekkeri) ad 1,8. dicit: „militis sacramentum singulis annis renovari, moris fuisse,“ — id argumentis carere et in iis tantum valere videtur militibus, quibus novi singulis annis duces præponebantur. Eorum quoque, apud quos hujus rei mentio est, scriptorum (Suet. Cæs. 70. Frontin. 1,9,4. Dio 42,52 sqq. Plut. Cæs. 51. App. Bell. civ. 2,92 sqq. Polyæn. 8,23,15) nullus dicit, milites hos recusasse, quo minus militiæ sacramento obligarentur, sed in universum: „seditionem eos movisse.“ Etiam Hist. 3,42 („fidus Vitellio, cujus sacramentum cunctis circa hostilibus nondum exuerat“) „sacramentum alicujus“ non est = „sacramentum alicui dicendum“, sed = „sacramentum alicui dictum.“ Quare equidem credere malim, verbis „sacramentum ejus“ h. l. significari: „sacramentum ei dictum“, quam „sacramentum ei dicendum“, et verba: „qui sacramentum ejus detrectabant“ interpretanda esse: „qui sacramentum ei dictum detrectabant, tanquam eo non jam obligarentur“, neque vertenda (id quod Gutmannus aliique faciunt): „die den Eid ihm verweigerten“, sed: „die ihren Eid (den ihm früher geschwornen Eid) nicht mehr anerkennen wollten.“ —

Jdem videtur sensisse Baumannus, qui vertit: „die ihren Eid gegen ihn nicht erkennen wollten“, et in Annott. addit: „Sacramentum detrectabant, proxime: nicht leisten wollten, sed ex historia: nicht halten wollten.“ Etiam G. Chr. Herrmannus (Der Jahrbb. des Tac. 1—6 B. verdeutscht. Giessen 1827) vertit: „welche der ihm gelobten Treue vergassen“.

ibid.

hunc ego nuntium patri, læta omnia aliis e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos, non missione, non pecunia satiatos etc.

Verba: „læta omnia aliis e provinciis audienti“ addita

sunt, et ut pudore moverentur milites, audito, se suis rebus solos non contentos otium turbare, ceteris legionibus in officio manentibus, et ut docerentur, incepta seditiosorum irrita esse, quum fide ceterorum militum civiumque imperium satis defenderetur.

I, 44.

orabant, — rediret legionum alumnus, neve obses Gallis traderetur.

Quo inclinatior ad filium revocandum fieret Germanicus, suspectam milites faciebant fidem Gallorum (Trevirorum C. 41.), metuendum esse, dicentes, ne Galli filium pro obside habituri essent, h. e. non redditurì, nisi iis, quæ vellent, impetratis.

ibid.

veterani haud multo post in Rætiam mittuntur —, ut avellerentur castris trucibus adhuc non minus asperitate remedii, quam sceleris memoria.

Veterani e castris, in quibus seditionis auctores poenis affecti erant, abducti sunt, ne seditionem redintegrarent. Quum enim his in castris asperitas remedii facilius, quam alio loco, in memoriam revocaretur, metuendum erat, ne manentibus ob remedii asperitatem novæ moverentur iræ.

I, 47.

primo prudentes, dein volgum, diutissime provincias fefellit.

Primo etiam prudentes, non modo volgum et provincias, fefellit, s. etiam prudentes, Tiberium ad exercitus iturum, primo credebant, hi tamen prius, quam ceteri, iter eum simulare, perspexerunt; „dein volgum — fefellit“ = „postquam prudentes mentem ejus jam introspexerunt, vulgus, quippe quod minus prudens esset, in errore versari non desiit“; diutissime Tiberius fefellit provincias, utpote quæ, longo spatio a principe remotæ, animum ejus minime nossent.

I, 49.

diversa omnium, quæ unquam accidere, civilium armorum facies.

Jnterpretes, quod sciamus, hæc verba ita explicare solent, ut post vocem „diversa" — cogitatione suppleant: „ab hac civilium armorum facie, a facie hujus belli civilis, ab hac cæde". Addunt (cf. Baumannum) „inversum esse ordinem." Quum enim verba proxima (v. c. 48. fin.) ejus, quod tum gerebatur, belli civilis faciem describant, rei magis consentaneum esset, si hoc, de quo sermo est, bellum civile subjecti, quod dicunt, locum teneret. (Facies hujus belli civilis diversa fuit a etc.). Ne igitur is, quem exspectamus, verborum ordo turbetur, fortasse licebit sumere, Tacitum, quippe cujus animo vox „dissimilis" obversaretur, „diversa" junxisse cum Genitivo, ita ut hic locus ita explicandus sit: „Facies (sc. hujus belli civilis fuit) diversa omnium, quæ unquam accidere, civilium armorum = ab omnibus, quæ unquam accidere, civilibus armis.[1]" „Diversus" certe, id quod lexica docent, ut „dissimilis" etiam cum Dativo jungitur.

ibid.

clamor, vulnera, sanguis palam; causa in occulto; cetera fors regit.

Meliores statuerant, non trucidandum esse nisi foedissimum quemque et seditioni promtum (C. 48). Quum vero, qui foedissimi et seditioni promti essent, accuratius non esset constitutum, cædem ipsam (cetera) fors regebat; quare factum est, ut vulgus, cui, neque legato neque tribuno moderante, licentia ulciscendi usque ad satietatem permissa esset, modum excederet.

I, 52.

cunctaque, quæ Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus.

„Servare" h. l. = „beibehalten"; quæ Germanicis jam

[1]) Consentire nobiscum videtur C. L. Rothius. v. Tac. Agr. ab eo editum p. 149.

concessa erant legionibus, ea retinere ad levanda Pannonicarum quoque legionum stipendia.

Causa, cur Tacitus plurali „Pannonicos exercitus“ utatur, duplex afferri potest. Aut respicit tres illas legiones, quæ Pannonicum efficiebant exercitum (Cap. 16.), atque „exercitus“ ponit pro: „legiones“, aut plurali indicare vult, Tiberium non solum ei exercitui, qui tum in Pannonia erat, sed etiam iis, qui postea eo mitterentur, militibus laxamenti aliquid dare statuisse.

Servavit autem Tiberius, quæ Germanicus indulserat, etiam apud Pannonicas legiones, tum ut has legiones sibi conciliaret, æque ac Germanicus studia legionum Germanicarum sibi parasset, tum ne exercitus Pannonicus durius a principe habitus denuo rebus novis studeret.

I, 53.

florentibus Gajo et Lucio Cæsaribus.

Minus accurate Baumannus et Gutmannus: „als die Cæsarn Cajus und Lucius noch lebten.“ Major enim, quam in voce „vivere“, vis inest in verbo „florere,“ quippe quod et h. l. et Cap. 1. significet: „amplum dignitatis gradum tenere“, et quidem C. 1. „imperium tenere“, h. l. „spem imperii habere.“ Monetur h. l. verbo „florere“, Juliæ filios, Agrippa genitos, Gajum et Lucium, imperii adipiscendi spem habuisse, ideoque a matre eorum Tiberium esse spretum, ut imparem sive ut eum, qui ab hac spe longe abesset. Rectius igitur Bötticherus: „als der Cæsaren Cajus und Lucius Hoffnung blühte“ (sive: „als sie noch die ersten Ansprüche auf den Thron hatten“). — Cap. 1. Gutmannus: „florentibus ipsis“ reddens: „bei ihren Lebzeiten“ vertere debebat: „als sie selbst („ipsis“ opp. „rebus eorum“) noch an der Spitze standen.“ (Bötticherus: „so lange sie selbst mächtig“).

ibid.

traditam Tiberio pervicax adulter contumacia et odiis in maritum accendebat.

Exspectare possis: „ad contumaciam et odia in maritum ac-

cendebat." Ablativi: „contumacia et odiis," si ad verbum eos reddere velis, vertendi: „durch Trotz und Hass" = „contumacia et odiis concitandis.")

ibid.

tunc milites ad cædem missi in prominenti litoris.

tunc = postquam quattuordecim annos exsilium toleravit.

I, 54.

idem annus novas cærimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam Titus Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat.

Tacitus Hist. 2, 95. refert, „hoc (sodalium Titiorum) sacerdotium Romulum Tatio regi sacravisse". Interpretes nonnulli (Pichena, Ryckius,[1]) Bachius) dicunt, locos Hist. 2,95. et Ann. 1,54. inter se repugnantes ita conciliari posse, ut Tatium illud sacerdotium instituisse, Romulum vero in Tatii jam defuncti memoriam sacravisse, sumatur. Waltherus quidem, hanc conjecturam, ait, suam habere difficultatem, neque vero addit, quam ea difficultatem habeat. Nobis hæc conjectura haud ita multum difficultatis videtur habere, sed credere possis, Tacitum etiam hoc loco, ut Hist. 2,95. sacerdotii Titiorum, non quod illud retinendis Sabinorum sacris institutum, sed quod memoriæ Tatii sacratum esset, mentionem facere debuisse, quum in hac ipsa re sodales Titii Augustalibus, quorum collegium institutum esset in Augusti memoriam, similes essent. Sed Tacitus h. l. hæc sacerdotia ideo videtur comparasse, quod utrumque principis nomine, Augusti et Tatii, notabatur.

ibid.

ludos Augustales tunc primum cœptos turbavit discordia ex certamine histrionum.

Discordia sc. plebis. Dio enim, hoc idem narrans (56,47.), dicit: „τὸ πλῆθος, τῶν ὀρχηστῶν τινος μὴ θελήσαντος ἐπὶ τῷ τεταγμένῳ μισθῷ

[1]) v. Waltherum ad h. l.

ἐς τὸ θέατρον ἐν τοῖς Αὐγουσταλίοις ἐσελθεῖν, ἐστασίασε.“ In vocem autem „discordiæ“ h. l. idem fortasse quadrat, quod ad 1,34, de voce „discors“ diximus. Discordia enim intelligi potest inter plebem et eos, qui ludos Augustales instituerant (senatum, βουλὴν Dio l. l.), orta (Unruhen, Unzufriedenheit). Nam Dio addit: „καὶ οὐ πρότερον ἐπαύσαντο ταραττόμενοι, πρὶν τοὺς δημάρχους τήν τε βουλὴν αὐθημερὸν συναγαγεῖν, καὶ δεηθῆναι αὐτῆς ἐπιτρέψαι σφίσι πλεῖόν τι τοῦ νενομισμένου ἀναλῶσαι.“ Sed vox „discordiæ“ h. l. etiam referri potest vel simul referri potest ad discordiam inter ipsos plebejos natam, quum verisimile sit, alteros cum iis histrionibus fecisse, qui mercedem augeri vellent, alteros cum iis, qui eam augeri nollent. Obtrectatio (apud Tac.: „certamen“ = Eifersucht) autem inter Pyladem et Bathyllum, principes illius ætatis histriones (pantomimos), intercedebat. Pylades enim, Dione auctore (54,17.), jam antea „Βαθύλλῳ, ὁμοτέχνῳ τέ οἱ ὄντι καὶ τῷ Μαικήνᾳ προσήκοντι, διεστασίαζεν.“ Et quum alter eorum, ut merces augeretur, postulasse videatur, altero adversante, fieri potuit, ut inde discordia inter ipsos plebejos concitaretur.[1])

I, 56.

Lucio Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto.

Ruperti putat, Apronium esse relictum, ut illius regionis vias et flumina castellis et limitibus muniret. Ejusdem fere sententiæ esse videtur Clostermeierus in libello, qui inscribitur: „Wo Hermann den Varus schlug. Lemgo 1822. p. 60.“ Ipsum quidem Clostermeieri libellum ad manum non habemus, sed virum hunc doctum in illa sententia esse, apparet ex iis, quæ Pabstius in Eclogis Tacitinis (Lips. 1831. p. 16.) ad h. l. dicit. Pabstius hanc sententiam his verbis improbat: „Sollten dies die Römer gethan haben, da schon die Lager, welche nach jedem Marsche aufgeschlagen waren, hinreichend befestigt wurden? In diesen fand eine Armee auf ihrem Rückzuge für Gepäck und Vorräthe genug Raum und Sicherheit. Darin liegt auch der Grund, warum die Römer immer auf demselben Wege, den sie gekommen, ihren Rückzug antraten.“ Viderint hoc alii. Sed in verbis, quæ sequuntur: „nam

---

[1]) cf. Pauly Real-Enc. s. v. Bathyllus 1,1078.

(rarum illi coelo) siccitate et amnibus modicis inoffensum iter properaverat, imbresque et fluminum auctus regredienti metuebatur" videntur inesse, quæ Ruperti et Clostermeieri sententiæ repugnent et doceant, hoc quidem loco de castellis et limitibus non esse cogitandum. Aperte enim hæc, quæ attulimus, verba declarant, Apronium eo potissimum consilio esse relictum, ut vias fluminibus coërcendis contra eluviones muniret s. ut flumina aggeribus et hoc modo vias contra eluviones muniret. Vis igitur verborum est: „um durch Eindæmmung der Flüsse die Wege gangbar zu erhalten." Fortasse, ut Baumannus et Gutmannus (quorum ille vertit: „zu Ausbesserung der Strassen und Dämme", hic: „um an den Strassen und Dämmen zu arbeiten") arbitrantur, etiam de reficiendis viis sermo est.

ibid.

sed Chattis adeo improvisus advenit.

„Sed" — aut simpliciter significat, ad aliam rem, nulla eorum, quæ antecedunt, ratione habita, transiri, aut hæc conjunctio eorum, quæ antea narrantur, argumentum respiciens indicat: „Romanos quidem omnem adhibuisse cautionem, sed Chattos plane imparatos fuisse." Consentiunt cum hac interpretatione verba: „improvisus advenit."

I, 57.

cum præsidio Gallicam in ripam missus est.

Diversæ, ut opinor, causæ afferri possunt, cur Segimundus Gallicam in ripam missus sit, non modo, ut a popularium odio et insidiis tutus, sed etiam ut is, qui non multo ante ad rebelles profugisset (v. quæ in eod. cap. narrantur), in Romanorum potestate et fortasse simul obsidis loco sponsor esset pro Segeste patre. Quare præsidii fuit et tueri Segimundum et custodire.

ibid.

Germanico pretium fuit convertere agmen.

Ruperti, ut verba: „convertere agmen" interpretetur, ad-

dit: „a Mattio ad Rhenum." Sed ad Rhenum Germanicus statim incenso Mattio verterat (C. 56.). Segeste vero auxilium adversus vim popularium orante converso agmine diversum a Rheno amne iter ingredi coepit[1]).

I. 58.

Simul Segestes ipse.

Supplet Ruperti verbum, quod antea legitur: „ferebatur." Malim e verbo: „ferebantur," quod antecedit, eximere: „venit". Sæpe enim non ipsum illud, quod antecessit, verbum repetendum, sed ex hoc verbo aliud, illi finitimum, sumendum esse, satis notum est. Præterea animadvertendum est, „ire, venire et similia" a Tacito haud raro omitti. v. Böttícheri lex. Tac. p. LXXXV. et Heinischii Annotatt. ad locos quosd. Taciti difficiliores (Jahresb. üb. das Kath. Gymn. zu Glaz 1843. p. 2.)

ibid.

ceterum et injeci catenas Arminio, et a factione ejus injectas perpessus sum.

Vox „ceterum" indicat, inter hanc et priorem enunciationem cogitatione hæc ponenda esse: „quamquam Romani a Germanis duce Arminio victi sunt, ego tamen ab Armino ejusque factione dissidere et cum Romanis sentire non desii."

Quo tempore et num peculiari quadam causa inductus Segestes Arminio catenas injecerit, memoriae non est proditum. Fr. Rothius[2]) suspicari videtur: „ob raptam filiam," quod colligere licet e verbis ejus: „Hermann entführt sie (Segest's Tochter Thusnelda). Ihn überfällt Segest und legt ihn in Fesseln."

Si quis verba: „et a factione ejus injecta perpessus sum" pro translatione habere et ad obsessionem, qua Roma-

---

[1]) cf. Fr. Roth Hermann und Marbod. Stuttg. 1817. p. 32. — Recte Ritterus: „agmen ex Chattis ad Rhenum versum in itinere ad fines Cheruscorum convertit. (Er bog mit dem Heereszug seitwärts — nach Norden — ein)."

[2]) Herm. u. Marbod p. 31.

norum ope Segestes liberatus sit (v. c. 57.), referre velit, nos quidem non repugnamus.[1])

I, 61.

semiruto vallo, humili fossa accisæ jam reliquiæ consedisse intellegebantur.

Ritterus[2]), cui assentiuntur Orellius et Pfitznerus (Jahn und Klotz N. J. 50,288.), semirutum vallum docet esse vallum ex parte collapsum (neque, ut alii volunt, in dimidium tantum justæ altitudinis exstructum). Quod Dœderlinus dicit, „hanc Ritteri explicationem sermoni repugnare, nam rutus passive dici, non, ut ruens vel lapsus, neutraliter", Ritterum refutare non videtur. Quid enim impedit, quo minus „semirutus" etiam h. l. a Tacito passive dictum sumamus? Semirutum erat vallum non ab hominibus, sed, quum festinantius ductum non satis haberet firmitatis, tempore rerum edaci s. vetustate. Jta Cap. 63.: „ruptos vetustate pontes." Præterea vocum „rutus" (eingeworfen) et „collapsus" (eingefallen) ea est inter se cognatio, ut illa vocabuli „rutus" significatio (eingeworfen) in hanc (eingefallen, eingestürzt) facile potuerit abire.

I, 63.

quamquam notis itineribus regrederetur.

notis = consuetis quidem et alio tempore non periculosis, sed tum propter hostium insidias infestis.

ibid.

cetera limosa, tenacia gravi cæno aut rivis incerta erant.

Vocabulum „limosa" — verba: „tenacia gravi cæno aut rivis incerta" complecti videtur. Omnia erant limosa, et quidem aut gravi cæno tenacia, ut ingredientes in limo hærerent, aut rivis incerta i. e. concisa rivis, qui incertum iter reddebant, quum dubium esset, num hi rivi facile superari possent.

---

[1])Vidimus, quum hæc literis jam mandata essent, a Rittero universum locum: „et injeci — perpessus sum" — pro translatione haberi.

[2]) Tac. Annall. recogn. brevique ann. instr. Fr. Ritter. Bonnæ ad Rhen. 1834. Jn majore edit. 1848. Ritterus hunc locum non attingit.

Quod Baumannus, qui verba „rivis incerta“ vertit: „durch versteckte Quellen unsicher“, „rivis“ h. l. significari dicit „fontes stagna sub solido facientes“, consuetudinem sermonis negligit.

I. 65.

ducemque terruit dira quies: nam Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est velut vocantem, non tamen obsecutus et manum intendentis reppulisse.

Apparet in hoc somnio, quo animo affectus fuerit Cæcina vigilans. Significant enim, quæ per somnium ei obversantur, animi habitum inter metum ac spem suspensum. Verba: „Quintilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est velut vocantem“ docent, Cæcinam, præsens periculum reputantem, ne sibi, quæ Varo, acciderent, timuisse. Varus δαίμονος instar ex inferis quasi emergit, ut Cæcinam in suæ calamitatis societatem deducat. Verba autem: „non tamen obsecutus et manum intendentis reppulisse“ indicant, Cæcinam, secundarum ambiguarumque rerum scientem eoque interritum (C. 64.), constantia sua metum depulisse et in spem prosperi eventus erectum esse.

ibid.

missæ in latera legiones, metu an contumacia, locum deseruere capto propere campo humentia ultra.

Quum milites nisi deserto loco campum humentia ultra capere non possent, offendere possis in Partic. Perf. „capto campo“ et exspectare: „loco deserto ceperunt propere campum humentia ultra.“ Sed Tacitus, quum legiones nisi capto hoc campo locum antea occupatum non prorsus deseruissent, consecutione verborum inversa dicit: „locum deseruere capto propere campo.“

ibid.

incertus signorum ordo.

Suum cuique manipulo signum erat, quod sequeretur. Quum

vero itineris difficultate signiferi suis demoti essent locis, signorum ordo incertus erat i. e. milites, quæ sequerentur, jam non habebant signa, et, ut aliis rebus, ita hoc incerto signorum ordine magis magisque turbabantur.

I, 67.

quæ in castris honesta, memorat.

„Honesta" Pichena, quem alii sequuntur, recte dicit esse „dona honorifica non tam in castris reposita, quam adhuc merenda." Addere possis: „laudem, virtutis comitem, quam in castris a ducibus consecuturi sint."

I, 69.

accendebat hæc onerabatque Sejanus.

Hæc = hanc, quam verba: „non enim simplices eas curas — cui nomen principis obsistere non quiverit" — depingunt, Tiberii invidiam ac diffidentiam.

I, 70.

non vox et mutui hortatus juvabant adversante unda.

Aut ita intelligendum: „voces hortantium audiri non poterant præ strepitu undarum," aut: „violentia undarum impedivit, quo minus milites hortantium consiliis uti possent." Fortasse utramque hanc sententiam verba illa complectuntur.

I, 73.

in Falanio et Rubrio, modicis equitibus Romanis, prætentata crimina.

Crimina læsæ majestatis primum tentata sunt in Falanio et Rubrio, modicis equitibus, ut, primo hoc periculo sine offensione facto, viri dignitate et auctoritate magis conspicui in eadem crimina possent vocari.

Errat Böttícherus, qui in Lexico Taciteo „prætentare" dicit significare h. l. i. q. obtendere (s. prætendere, obtentui sumere).

Eam, quam hæc vox hoc quoque loco habet, vim non omisit Freundius in Lex. s. v. „prætentare" Nr. II.; debebat autem etiam hunc Taciti locum afferre.

ibid.

ut quibus initiis, quanta Tiberii arte gravissimum exitium irrepserit, dein repressum sit, postremo arserit cunctaque corripuerit, noscatur.

Dixerit quispiam, criminibus in Falanio et Rubrio prætentatis ostendere quidem Tacitum, quibus initiis, quanta Tiberii arte gravissimum exitium irrepserit, dein repressum sit, neque vero, quanta Tiberii arte postremo arserit cunctaque corripuerit. Quanta enim Tiberii arte gravissimum exitium postremo arserit cunctaque corripuerit, posteriore tempore aliorum accusationes virorum docere, neque accusationem Falanii et Rubrii. Sed criminibus in Falanio et Rubrio prætentatis s. Falanio et Rubrio leniter habitis effectum est, ut gravissimum hoc exitium postremo ardere cunctaque corripere posset.

I, 75.

inter quæ Pius Aurelius senator — erogandæ per honesta pecuniæ cupiens.

Jnter ea, quæ in his judiciis agebantur, etiam hoc accidit, ut Pius Aurelius senator questus mole publicæ viæ ductuque aquarum labefactas ædes suas auxilium patrum invocaret s. cum alia in his judiciis agebantur, tum hoc in eorum aliquo accidit, ut Pius Aurelius — auxilium patrum invocaret (im Laufe dieser gerichtlichen Verhandlungen; bei einer dieser gerichtlichen Verhandlungen).

Verbis: „inter quæ — cupiens" confirmantur ea, quæ Tacitus antea dixerat: „dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur." Veritati s. justitiæ consulebatur pretio ædium Aurelio tributo, sed libertas corrumpebatur prætoribus ærarii ad erogandam hanc pecuniam, Caesare judiciis se immiscente, coactis.

ibid.

tentantis eadem alios probare causam senatui jussit, cupidine severitatis in iis etiam, quæ rite faceret, acerbus.

Acerbus Tacito Tiberius esse videtur, quod eos, qui ob paupertatem veniam ordinis peterent, causam coram senatu probare s. paupertatem palam confiteri jusserit; v. proximam enuntiationem: „ceteri silentium et paupertatem confessioni et beneficio præposuere“. Hoc quum rite factum Tacitus dicat, quod Tiberius, ut causam pauperes probarent, postulaverit, improbat publicam hanc, quippe quæ ignominia quadam afficiat, paupertatis confessionem.

I. 76.

relabentem secuta est aedificiorum et hominum strages.

Aedificia aquis subruta corruerunt; homines et ruina aedificiorum oppressi sunt et stagnantium aquarum vaporibus affecti in morbos inciderunt mortiferos.

ibid.

non crediderim ad ostentandam saevitiam movendasque populi offensiones concessam filio materiem.

Erant, qui existimarent, Tiberium abstinuisse ludis gladiatoriis Drusoque filio munus his spectaculis præsidendi concessisse, ut, mota adversus eum, quippe qui ejusmodi rebus gauderet, sævitiæ suspicione atque civium offensione, ipse, qui interesse his ludis nollet, tanto magis populi gratiam iniret. Sed recte Tacitus tantam, ait, invidiam abhorrere a naturali atque insito in animis patrum erga filios amore.

I, 77.

silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui præbebat.

Simulacra libertatis haec erant, quia senatores inter se quidem in rebus minoris momenti praesente principe interdum pugnabant, neque vero ipsi principi, nisi per speciem, refragari audebant.

ibid.

ne (pantomimi) alibi quam in theatro spectarentur.

Decretum est, ne histriones alibi quam in theatro spectarentur, et quia ii, quorum erat immodestiam sive histrionum sive spectantium cöercere, a domibus s. omnino a locis privatis exclusi erant, et quia timendum erat, ne histriones in locis privatis in nimiam quandam virorum nobilium familiaritatem se insinuarent.

I, 79.

Spectandas etiam religiones sociorum, qui sacra et lucos et aras patriis amnibus dicaverint.

Veteres quum fluvios Deorum loco haberent, divino honore eos colere iisque sacra et lucos et aras in ripa solebant dicare. Reatini igitur putasse videntur, versis fluminibus et fluvios ipsos, Deorum instar colendos, et accolas fluviorum violatum iri, illos, quia, quamvis inviti, mutato cursu fluere et sacra sua deserere ab hominibus cogerentur, hos, quia Diis quasi patriis privarentur. Utrumque impietatis esse arbitrabantur.

I, 80.

sunt qui existiment, ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium.

Tiberio, qua erat ingenii calliditate, multa difficultates habere suisque consiliis obstare videbantur, in quibus negotii quid inesse homines ingenii minus callidi non putarent. Quare factum est, ut homo suspiciosus cum in aliis rebus, tum in eligendis iis, quibus exercitus et jurisdictiones committeret, anxius haesitaret.

I, 81.

quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.

Ut alia, quamvis infesta, dum occulta sunt, depellere non licet, ita servitus libertatis imagine tecta non modo non arceri, sed ea, nullo adversante, in dies gliscere potest.



Nachrichten

über

das evangelisch- theologische Seminar zu Blaubeuren.

Der **Unterrichtsgang** im hiesigen Seminar vom Oktober 1845 bis zum September 1849 war im Wesentlichen der durch die „Jnstruktion für den Vorstand und die Professoren der niederen evang. Seminarien" vorgeschriebene. Da auch das grössere Publikum diesen Unterrichtsgang aus dem Maulbronner und Schönthaler Programme vom J. 1847 und 1848 kennt, so unterbleibt eine Aufzählung der in unserem Seminar während des genannten Cursus behandelten Unterrichtsgegenstände.

Früher wurden (gemäss der Jnstr. §. 3.) die wöchentlichen Themen zu den lateinischen Compositionen (lat. Hebdomadarien) auch im hiesigen Seminar von beiden Professoren abwechselnd gegeben. Seit dem Sommer 1847 besteht, im Jnteresse gleichförmiger Stilbildung, mit Genehmigung des K. Studienraths die Einrichtung, dass die sämmtlichen lateinischen Hebdomadarien von dem einen, die sämmtlichen griechischen und hebräischen von dem andern der beiden Professoren gegeben werden, während die Aufgaben zu schriftlichen Uebersetzungen aus dem Lateinischen (bisweilen auch aus dem Griechischen) in das Deutsche (die sogenannten Perioden), wie früher, zwischen beiden Professoren getheilt sind.

Der französischen Sprache sollen (nach der Jnstr. §. 7.) wöchentlich 2 Stunden im ganzen Seminarlauf gewidmet werden. Jm gegenwärtigen Semester wurde mit Billigung der Oberbehörde der Unterricht im Französischen auf 1 Stunde in der Woche be-